

secum transegit. Interea mortuus est Ladislaus rex Apulie, qui et Romam et ecclesie patrimonium occupaverat. Quo nuncio accepto, quamvis instaret Constanciensis concilii dicta dies, Romam tamen petere destinaverat²⁸. Sed monitus per cardinales temporalia per legatos et spiritualia per propriam personam, quia digniora sunt, esse gerenda legatos misit, qui patrimonium ecclesie vendicarent. Ipse personaliter Constanciam est profectus, Friderico tamen Austrie duce partes suas conciliato. Postquam vero concilium coactum est, suusum sibi publice est, ut pro pace ecclesie summo pontificio vellet cedere. Is nunc laudis cupidus annuebat, nunc suorum precibus motus renuebat victusque tandem cupiditate dominandi retinere pontificium decrevit. At ex Constancia fugiens Schafhausiam petiit, ubi cum accepisset patres, qui Constancie manserant, adversus <eum> procedere, Brisacum perrexit sperans exinde transmissio Reno in Gallias proficisci ac Johannis Burgundionum ducis auxilio, qui eius causa equitatum in propinquo habebat, Italiam petere. At Sigismundus imperator unioni ecclesie intentus timens, ne fuga istius maioris incendii foret occasio, lata in Fridericum Austrie ducem sententia qui eum iuverat, Johannem ipsum apud Brisacum deprehendi fecit. Ac post sinodus contra ipsum procedens deposicionis sententiam tulit eumque in carceribus, quoad viveret, detinendi pronuncciat. Diuque hic postea in quodam castello supra Rheni ripam per ducem Bavarie Palatinum electorem detentus est, donec Martinus papa, qui Constancie fuit electus, eundem sibi transmitti mandat. Ad quem dum vinctus ducitur, ut erat versutus, aufugit suaque sponte ad Martinum tunc Florencie manentem profectus est. Cuius obvolutus genibus et veniam fuge petivit et pontific<at>us iuri, si quod sibi competeat, denuo ces<s>it. Qua humilitate id promeruit, ut ad cardinalatus fastigium rursus assumptus et Florencie aliqua<m>diu post vixerit et ibi mortuus in sacello divi Iohannis Baptiste sepultus fuerit. Nec mihi ambiguum est, quin tanta eius humilitas, si modo vera fuit, cetera eius vicia, quamvis fuerint ingencia, penitus extinxerit et divinam sibi gratiam reconciliaverit.

Otto de Culpmpna²⁹, cui postea Martinus quintus nomen fuit, quamvis nobili loco natus esset, tam pauper tamen in cardinalatus dignitate vixit, ut, nisi soror Paula, que Plumbinum regebat, sumptus sibi subministrasset, interesse Constanciensi concilio non potuisset. Ac propterea, cum Iohanne et Benedicto depositis post cessionem Gregorii quisnam summo pontificio preficiendus esset patres investigarent iamque tres et viginti cardinales ac XXX^{ta} viri ex nationibus quinque collecti in conclavi essent, nemo in istum, quoniam paupertas abiectum [fol. 106v/108v] reddebat, casuram sortem opinabatur. Sed potens est dominus exaltare humiles et superbos de<i>icere, cuius munere factum est, ut tres et quinquaginta patres in hunc solum consonare potuerint. Qui postquam electus est, in annum Constancie perseveravit ac dissoluto concilio et alio ad quinquennium in Papia indicto Gebennam se transtulit. Quo ibi manente grande incendium factum totaque mercatorum via concrema<ta> est.

28) desinaverat *Hs.*

29) Calumpna *Hs.*